



1
20

24

30

3

3

3



No. 27 num. 4

13
I. L. E. PÜTTMANNI
I. V. D. TIT. DE V. S. ET R. I. ANTECESSOR. ORDINAR
NEC NON COLLEG. ICTOR. ASSESSOR

PROLVVSIO 6

DE

PARTV VNDECIMESTRI

LECTIONIBVS AESTIVIS

A. C. MDCCLXXIX

PRAEMISSA

P 234



KÖNIGLICH
UNIVERS.
ZVEHALIE

LIPSIÆ

APVD IO. CAR. MÜLLERVM

MDCCLXXIX



PROVISIO
PARTY MEDICINARI
C. M. L. C. T. A. X.
CIT
ne
sic
int
ner
Te
cer
cae
esse





PROLVVSIO
DE PARTV VNDECIMESTRI

AD NOV. XXXIX. CAP. II.

Ex factō nuper quaesitus, partusne a vidua vndecimo post mortem mariti mense editus pro legitimo habendus, exclusisque defuncti agnatis ac simultanee inuestitis ad successiōnem, qua allodiale qua feudalem, admittendus sit? quorquor quaestionem illam tetigisse noueram, interpretes consului, perlectisque, eo quae pertinere videbantur, omnibus cum *Demiphone* tandem *Terentiano* dicere necesse habui: *fecistis probe, incertior sum multo, quam dudum.* Quare relictis caecis illis ductoribus leges ipsas inspicere satius esse existimaui.

* 2

Ac



Ac hic quidem mihi occurrebat

1) Lex XII. Tab. *Si qui ei (patri) in decem mensibus proximis postumus natus esset, iustus esto, quam belle illustravit 10. NIC. FVNCIUS in Obs. ad Leg. XII. Tab. p. 215.*

2) l. 3. §. 9. seq. D. de suis et leg. her. vbi ita VLP. *Vtique et ex Lege XII. Tabularum ad legitimam hereditatem is, qui in utero fuit, admittitur, si fuerit editus. Inde solet remorari insequentes sibi agnatos, quibus praefertur, si fuerit editus. — Post decem menses mortis natus non admittetur ad legitimam hereditatem.*

3) quod SCAEVOLA ait in l. 29. pr. D. de lib. et post. *Gallus sic posse institui postumos nepotes induxit: Si filius meus vivo me morietur, tunc si quis mihi ex eo nepos suae quae neptis post mortem meam in decem mensibus proximis, quibus filius meus moreretur, natus, nata erit, heredes sunto.*

4) l. 4. C. de post. her. inst. vbi IVSTINIANVS: *Sive vivo testatore, sive post mortem eius intra decem menses a morte testatoris numerandos filius vel filiae fuerint progeneri, maneat testatoris voluntas immutata.*

5) omnium fere gentium, pariendi tempus ultra X. mensium spatium haudquaquam proferentium, consensus. *Nono et decimo mense, inquit*

CENSO-

CENSORINVS de die natal. Cap. VII. tum Chaldaei plurimi, et — Aristoteles, edi posse partum putauerunt. — Ceterum undecimum mensem Aristoteles solus recipit, ceteri vniuersi improbarunt. Decem mensium spatio matris in utero se coagmentatum fuisse, scribit auctor *Libr. Sapientiae VII, 2.* Egre-
gie VARRO ap. NON. MARCELL. *IV. n. 422.* Nas-
cimur spissus, quam emorimur. Vix duo homines decem mensibus edolatum vnum reddunt puerum: con-
tra una pestilentia, hostica acies, puncto temporis, immanes acervos facit, et cui ignotum illud VIRGI-
LII *Ecl. IV. v. 61.*

Matri longa decem tulerunt fastidia menses.

Nec aliter PLAVTVS in *Cistell. I. 3. 14.*

— Illa, quam compresserat,
Decimo post mense exacto hic peperit filiam,

itemque APVLEIVS in *Apolog. p. 327. edit. Elmenhorst.*
O sterilitas liberis potior, o infausti decem menses!
Lubens abstineo cumulandis pluribus locis, a C. A.
FABROTTO in *Exercitat. I. quae est de tempore hu-
mani partus s. de iusto partu, (in OTT. Thes. Tom.
III. p. 1150.)* aliisque eodem in argumento versa-
tis larga iamiam manu adductis.

Ne autem argumenta duntaxat, pro nostra
quae faciunt sententia, dissimulatis iis, quibus uti
aduerfa-

aduersarii solent, proposuisse videamur, haec etiam in medium, age, proferamus.

Ac primum quidem nobis oggerunt decretum illud Imp. HADRIANI, cuius GELLIUS III. 16. meminit, *Practerea*, inquit, *ego de partu humano, praeterquam quae scripta in libris legi, hoc quoque venisse usu Romae comperi. Feminam bonis atque honestis moribus, non ambigua pudicitia, in undecimo mense post mariti mortem peperisse, factumque esse negotium propter rationem temporis, quasi marito mortuo postea concepisset, quoniam decemuri in decem mensibus gigni hominem, non in undecimo scripissent: sed D. Hadrianum causa cognita decreuisse, in undecimo quoque mense partum edi posse, idque ipsum eius rei decretum nos legimus.*

Secundo loco IVSTINIANI nituntur auctoritate in *Nou. 39. c. 2. §. 1.* (interprete I. F. HOMBERGK ZV VACH in *vers. Nouellar. p. 405.*) ita scribentis: *Quare sancimus, si quid tale contigerit, et mulier intra tempus luctus sub finem anni pariat, ut indubitatum sit, sobolem non ex priore esse matrimonio, ut ipsa donatione ante nuptias et quoad dominium et quoad proprietatem plane priuetur, reliquisque poenis omnibus subiiciatur, perinde ac si legitimas secundas nuptias intra tempus luctus contraxisset. Numquam enim luxuria plus habeat, quam castitas, sed et illi eadem poenae imminuant, periculum*

lam quoque accusationis propter crimen stupri sustineat, ut neque intempesiuias nuptias concupiscat, neque legitimas nuptias maiore malo circumueniat.

Tandem etiam medicis, qua veteribus qua recentioribus, testimonium denunciant. Inter nouissimos, qui hac de re exposuerunt, principem ferre locum obtinet celeberrimus quondam medicus, LAUR. HEISTERVS, cuius *Diff. qua partus tredecimestris pro legitimo habitus proponitur, et simul partui nullum certum tempus in uniuersum tribui posse ostenditur*, Helmstad. 1753. denuo prodit^a). Quid? quod feminas nonnullas natos peperisse legitimos duodecimestres, sedecimestres, vigesimiflres, et vigesiquatrimestres, relatum legitur in edit. CENSORINI, *Cantabrigiae 1695. typis exscripta p. 41. in Corp. iur. a SIMON. VAN LEEUWEN Amstelodam. 1663. curato autem ad Nou. 39. p. 75.*

* 4

a) De partu tredecimestri scripsit etiam NEBEL Hei- delberg. 1731. de partu serotino autem G. C. AR- NOLD Lipsiae 1775. Ceterum conf. WILD- VOGEL de partu legitimo, MARTVNG de partu legitimo septimestri et undecimestri, et LYNCK de partu decimestri et undecimestri, nec non P. AE- RODIVS Pandect. rer. iudicatar. p. 129. Nuper admodum (hoc ipso scilicet anno) prodit W. G. PLOVCQVETS *Abhandlung über die physischen Er- fordernisse der Erbfähigkeit der Kinder*, Tubingae 1779.

p. 75. notatum est: *Audito, apud Parisenses arbitrio doctissimorum aduocatorum admissam fuisse viduam, quae XIV. mense peperisset. His autem circumstantiis omnes mouebantur, quod vidua apud heredes defuncti mariti diligentius semper spectata vixisset, quod eorum vxoribus adfida fuisset comes, nec ab earum latere discessisset, quod heredes ipsius defuncti nihil eius honori vel pudicitiae detraherent, quin potius de sollempni continuoque propter mortem mariti luctu testarentur. His ita postis summi iuris antistites communis vulgarisque partus rationem tanti faciendam esse non putarunt, quin matrona moribus honestissimis praedita (cui nihil quidquam obiceretur aliud, quam quod citra vulgarem mulierum morem pareret,) audiretur.*

Enimuero nullum horum argumentorum ita comparatum est, vt vadimonium ideo deserendum aut arena cedendum esse videatur. Quod enim ad decretum D. HADRIANI atinet, valuerit sane illud ea in specie, in qua interpositum fuit, ad nos certe nihil omnino pertinet, maxime cum IVSTINIANVS idem iuris sui libris haud inferuerit, sicque, se valere illud nolle, fatis clare testatum fecerit.

Nouellae 39. cap. 2. a multis quidem lectum, a his autem intellectum, tantum abest, vt ad ionem propositam referendum, vt in eo potius

tius de specie longe diuersa sermo sit. Hoc me docuit H. SALMVTH. ad GVID. PANGIROLI *Rer. memorabil. Part. II. p. 209.* Nulla scilicet ibi de partu, sed de restituenda potius donatione antenuptiali quaestio mouetur. Cum enim proponeretur, mulierem perfecto vndecimo mense, nondum tamen anno exacto, peperisse, haud quaerebatur, partusne vndecimo aut duodecimo mense editus pro legitimo habendus esset, sed liberi prioris matrimonii antenuptialem duntaxat repetebant donationem, eaque priuandam dicebant viduam, quae intra annum luctus ad secundas nuptias conuolasset. Mulier ad elidendam hanc intentionem fatebatur quidem, ita ius esse, vt vidua intra tempus lugubre nubens donatione illa cadat, ceterum, secundas se contraxisse nuptias, constanter negabat. Puerum, quem peperisset, non ex secundo marito, quem nullum haberet, sed ex opere naturalis concupiscentiae, i. e. ex stupro, se peperisse, ideoque constitutiones ad se, quae secundo non nupsisset, haud pertinere. Nequaquam igitur illa contendebat, partum suum ex priore esse matrimonio, aut iustum partum vndecimo vel duodecimo mense procreari posse, sed, vt poenas intra tempus luctus nubentium euitaret, post mortem mariti se constupratam esse confitebatur. IUSTINIANVS, iniquum esse ratus, castitate feliciorum esse luxuriam, fanciuit, viduam poenis

illis omnibus esse subiiciendam, haud fecus, ac si ante tempus luctus finitum legitimas celebrasset nuptias, nulla prorsus ratione habita, quanto tempore vterum gerere mulier posset. Atque ita *Nou.* illam esse intelligendam, iam ante Salmuthum 10. BASIO *Paradox. Disputat. Lib. IV. cap. 6.* suboluit.

Neque adeo, vt difficultatem ex *all. Nou.* nobis obmotam amoliamur, necesse est cum G. MASCOVIO de *Sect. p. 208.* dicere: *Nec enim ex eo, quod partus ad finem vndecimi mensis editus dicatur illegitimus, magis potest concludi, illum principio vel medio eius mensis iuste nasci potuisse, quam si ad finem duodecimi vel tertii decimi natus diceretur illegitimus, concludi posset, principio vel medio eo mense natum iustum esse;* quod etiam repetit in *not. ad GRAVINAM p. 185.* Non placet sane ista depulsio, propterea quod, vt iam diximus, *Cap. 2. Nov. 39.* non ad hanc, sed ad aliam plane quaestionem pertinet. Saepe accidit interpretibus, vt obiter lecta lege aliqua eo illam referant, vbi tamen adplicari iure haud potest, idemque hic etiam non modo interpretibus de plebe, sed ipsi adeo CUIACIO ad *dist. Nov. 39.* nec non de *diuers. tempor. praescript. cap. 19.* fraudi fuisse, in apri-co est.

Suffragio denique medicorum, tempus parien-di non modo ad mensem XI. sed vltius etiam
 profc-

proferentium, contrariis aliorum testimoniis occurrere in difficili haud esset ^{b)}. E multis, quos possem laudare, vnum nominasse sufficiat c. G. LVN-
WIGIVM, in *Inst. medicin. forens.* §. 110. ita scri-
bentem: *Non desunt quidem observationes partuum
ad undecimi mensis initia productorum. — Sed uti
de harum observationum fide non sine ratione dubita-
mus, sic aliae, quae duodecimum aut decimum tertium
mensum rarioribus exemplis confirmare nituntur, fal-
sae omnino iudicandae sunt. Rariora enim exempla,*
vbi

b) Menses hic intelligimus haud lunares, sed sola-
res, quorum singulis XXX. dies imputantur, l. 40.
*D. de reb. cred. l. 101. D. de R. I. l. fin. §. 2. C. de
iur. deliber.* adeo, ut partus die a morte mariti
trecentesimo editus pro legitimo adhuc habendus
sit, quod spatium sane nemini breuiculum videbi-
tur, qui legerit, quod scribit I. E. HEBEN-
STREIT, in *Anthropolog. forens.* p. 191. Quocumque
aurem modo quis praegnantiae durationem sibi sistere
velit, certum est, ultra 272. dies saluis matre vel
foetu partum differri haud solere, si exemplorum
multiitudo, quae leges naturae explicat atque consti-
ruit, consultitur. Possit tamen aliquid causae sub-
esse, propter quam partum ad decimi mensis finem
differri oporteat. Foetus serotini, post statutum
gignendi tempus in lucem editi cordi s. chordi a
Rom. vocabantur, vnde e. g. C. MCVIVS COR-
DVS, de quo vid. GEO. D'ARNAVD *Vit. Scaeuolar.*
pag. 2. seq.

vbi foetus mortuus et imperfectus diutius in utero subsistit, cum causam morbosam coniunctam habeant, partum legitimum definire non possunt. Sed tacite reapse partus exempla ferotini exstare, locumne hic non inueniet, quod in l. 3. 4. 5. et 6. D. de Leg. scriptum est: Iura constitui oportet, ut dixit Theophrastus, in his, quae ἐν τῷ πλείονι, i. e. ut plurimum, accidunt, non quae ἐκ παραδόχου, i. e. ex inopinato. Ex his, quae forte vno aliquo casu accidere possunt, iura non constituuntur. Nam ad ea potius debet aptari ius, quae et frequenter et facile, quam quae raro eueniunt. Τὸ γὰρ ἀπαξ ἢ δις, i. e. quod enim semel aut bis existit, ut ait Theophrastus, παραβαίνουσιν οἱ νομοθέται, i. e. praetereunt legislatores? Et quid? nonne, si semel terminum legibus definitum migramus, intemperantium bonisque maritorum inhiantium viduarum technis ac fraudibus ianuam, ut ita dicam, et fenestras aperimus? c) Viduarum

c) Adeo, ut recte scripserit I. N. FVNCIVS l. c. p. 216. Decemviri stauerunt, postumum etiam mense post patris obitum decimo recte nasci, et in familia omnino suscipiendum esse. Longius vero non admittit temporis spatium, ne quid a muliere supponatur ex alieno concubitu, cuius rursus soluti iam nuptiarum auctoritate velare possent. Ius enim versatur in iis, quae ut plurimum ex ipsius naturae longissimo

rum, inquam, de quibus H. VALESIVS *Poemat.*
pag. 46.

*At recordantur viduae peractas
Cum viris noctes. Sitis inde maior
Cognitae dudum Veneris priores
Excitat ignes;*

rifumque profecto meretur, quod de earum casti-
tate et pudicitia in dubium haud vocanda e *Corp.*
Iur. SIMONIS VAN LEEVWEN supra adscripsimus;
quasi scilicet vere haud cecinisset HORATIVS
Carm. III. 16.

*Inclusam Danaen turris aënea
Robustaeque fores, et vigilum canum
Tristes excubiae munierant satis
Nocturnis ab adulteris,*

*Si non Atrifum, virginis abditae
Custodem pauidum, Iuppiter et Venus
Rississent: fore enim tutum iter et patens
Conuerso in pretium Deo.*

Ita vero nec eorum nos morantur consilia, qui
hic etiam idolo illi iudiciorum, iudicis puta ar-
bitrio,

*gissimo usu satis cognitae veniunt ordine, non in
iis, quae aliquando et rarissime casu inopinato con-
tingunt.*

bitrio, haud parum relinquendum esse existimant. Non ita prudentes, quique bene reipubl. cupiunt! Verissime CIC. de Orat. Plura multo homines iudicant odio, aut amore, aut cupiditate, aut iracundia, aut dolore, aut laetitia, aut spe, aut timore, aut errore, aut aliqua permotione mentis, quam veritate aut praescripto, aut iuris norma aliqua, aut iudicii formula, aut legibus, sapienterque AMBROSIVS: Bonus iudex nihil ex arbitrio suo facit, sed iuxta leges et iura pronunciat, statutis iuris obtemperat, non indulget propriae voluntati, nihil paratum et meditatatum domo defert, sed sicut audit, ita iudicat, et sicut se habet negotii natura, decernit, obsequitur legibus, non aduersatur, examinat merita causae, non mutat. Plura diximus in proluf. de arbitr. iud. e foro iudiciisque eliminand.

Siccine igitur, inquis, ne illud quidem admittis, quod Glossa I. P. S. Lib. I. art. 33. ait: *Wise auch, eine Frau mag ein Kind zehen Monath tragen und zweene Tage, aber länger nicht.* Ego vero ne hoc quidem facile admiserim, nisi Principi, noua condita lege, ita placuerit, quippe qui memoria teneo, quod SYMMACHVS Lib. X. Ep. 70. scribit: *Alia est conditio magistratum, quorum corruptae videntur esse sententiae, si sint legibus mitiores, alia dominorum Principum potestas, quos decet acrimoniam seueri iuris inflectere.*

En

En incertissimum, si doctorum indulgeas opinionibus, ius! *Alii*, inquit GEO. BEYERS in *Opus.* p. 95. diem vel biduum, alii quadrantem mensis, alii dies decem ei tribuunt, alii iudicis arbitrio relinquunt. Quis, cum tale quid legerit, lubens haud subscripserit auctori anonymo libri, qui sub tit. *Geist der Criminal-Gesetze Hamburg.* 1777. prod. p. 112. Quodsi hodierni doctores opinionibus suis vim legum vindicatum eunt, haud potius sane iure id faciunt, ac si clericus se apostolum vendicaret; de arbitrio autem in leges iudici haud permittendo praeclare BECCARIA de *delict. et poen.* §. 4. Quisque hominum singulari ac sibi propria sentiendi gaudet ratione, idemque diuersis temporibus easdem res diuerso aestimat modo. Quae cum ita sint, legis cuiuslibet ratio a bona malae iudicis penderet dialectice. Penderet porro ab eiusdem bona malae concotione, ab adfectionum vi, ab accusati infirmitate, a magistratus cum laeso coniunctione, ab omnibus denique, iisque haud raro paruis momentis, quae, ut facies rerum pro humani inconstantia animi subinde mutantur, efficiunt.

Supereff iam, Vos, GENEROSISSIMI NOBILISSIMIQUE COMMILITONES, de praelectionibus hocce semestri a nobis habendis certiores redamus.

Constituimus scilicet Vobis publice quatuor per hebdomad. diebus hora X. *Ius criminale secundum*

dum *Elementa nostra* typis nuper excusa, priuatim autem hora XI. *ius feudale* ex MASCÓVIO, et hora III. *hermeneuticam iuris* duce ECKHARDO, nec non diebus Merc. et Sat. hora X. *ordinem processus* secundum I. G. HOFMANNI modum procedendi, additis regulis artis relatoriae exercitiisque practicis, et hora XI. *Ius cambiale* praeceunte SIEGELIO exponere; hora denique III. iisdem diebus *exercitationes disputatorias et examinatorias* instituemus, ceterum nec iis defuturi, qui opera nostra etiam aliis in disciplinis vti, aut ad examen praeparari volent.

Vos autem A. C. valete, resque vestras porro gerite feliciter. Sc. Lipsiae a. d. XXX. April. MDCCLXXIX.




Leipzig, Diss., 1779 K-Z


X 237 1913

ULB Halle
005 433 703

3







13

In: 27 num. 4

I. L. E. P V T T M A N N I
I. V. D. TIT. DE V. S. ET R. I. ANTECESSOR. ORDINAR
NEC NON COLLEG. ICTOR. ASSESSOR

P R O L V S I O 6

D E

P A R T V V N D E C I M E S T R I

L E C T I O N I B V S A E S T I V I S

A. C. M D C C L X X I X

P R A E M I S S A

P 234



KÖNIGLICHES
UNIVERSITÄT
ZUMALIE

L I P S I A E

A P V D I O. C A R. M Ü L L E R V M

M D C C L X X I X

